

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum

Fecht, Johann

Francofurti et Spirae, 1684

VD17 VD17 3:315948Z

XXXII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

S. in Domino. Reverendissime in Christo Pater.

Relatum est mihi heri, quod Senatus Argentinensis incipiat nimium aperte Cinglianismo favere; si id verum est, vehementer doleo vicem Ecclesiae Christi. Nihil jam multis septimanis à vobis literarum accepi, nec cupio arcanorum esse conficius, sed tamen vellem, si fieri posset commode, scire, quo loco res esset. Meus Antisturmius, ut spero, intra octiduum in publicum prodibit. Si occasio dabitur, mittam unum aut alterum exemplar. Plura addere per temporis brevitate non licet. Bene vale, Clariss. D. Doctor, & D. D. Pappum & reliquos omnes collegas ex me officiose salutare tua R. non gravetur. Data raptim Stutg. 18. Decembr. Anno 80.

R. tua

studiosiss.

Lucas Osiander, D.



(Philippo Marbachio.)

*Salutem in Servatore Christo. Reverende & clarissime**D. Doctor, amice & frater charissime.*

Jamdiu ad te nihil literarum dedi, id iniriò propterea factum fuit, quod paulò postquam postremas tuas accepissem, in patriam mihi abeundum fuit, neq; reverso postea aliqua se commoda obtulit occasio, qua tamen in te si peccasse me arbitraberis, habebis confitentem reum. Poteram enim quotidie ex D. parente tuo, & patrono meo multas occasiones expiscari. Nam & epistola tua postremò ad D. Parentem scripta, & adolescens iste, qui has tibi afferet, me commoverunt, ut quod dudum faciendum erat, ulterius ne differrem. Complectebatur enim illa tua epistola honorificum de prioribus meis defensionibus iudicium, quo etsi inferiores illae sunt, gaudeo tamen tibi, tuiq; similibus h. e. bonis & literatis viris, studium & operam meam probari. Dedi autem & in quarta hac Defensione operam, ut res veras & necessarias modestè proponerem & defenderem; & planè gratulor mihi, dignam illam D. Parenti tuo visam fuisse, de qua ad te scriberet. Nestorius noster (puto enim eum, qui primus nomen illius ~~argentinensis~~, non sine omine id fecisse) adhuc vespis & crabronibus suis nimis faciles accommodat aures. Licet à Senatu admonitus, Cinglianis & Calvinianis neque discipulis, neq; præceptoribus in schola

LIII 2

nostra

nostra locum esse debere. Quia de re non dubito, quin & D. Parens, & fratres ad te copiosius perscribant, ideoq; nihil nunc putavi addendum. Ungarus autem iste vehementer à me petiit, ne sine meis ad vos descenderet. Etsi verò dignos judico conatus ipsius favore bonorum, tamen quomodo à vobis juvari possit, non video. Pium, modestum & industrium ipsum esse scio: aderis igitur ei tuo consilio, quantum poteris. Rev. & Cl. D. Collegis tuis D. D. Kirchnero & D. Patienti, & D. Lautebachio etiam sal. reverenter adscribo. Bene in DOMINO vale. Argentor. 23. Decembr. 1580.

Tuus in DOMINO frater

Joh. Pappus, D.

XXXIII.

Salutem! Initiò, Reverendissime & Clarissime vir, R. D. T. & toti familiæ felix auspiciis novi anni, feliciorum decursum & felicissimum exitum toto pectore præcor, ac DEUM veris gemitibus oro, ut R. D. T. in hac trisili cribratione confoletur, servet, vivifiet, erigat, tueatur ac defendat contra rabiem Sycophantarum, & furorem Calvinistarum, qui conjurarunt adversus Dominum & Christum ejus, ac quantum in ipsis est, cælum terræ miscere conantur. Singulari cum gaudio percepi, Senatum vestrum sumpsisse animum, & aliquo modo furores quorundam reprimere cœpisse. Faxit Dominus, ut magno animo pergant & hostium machinationes pro officio reprimant. Ego per DEI gratiam salvus & incolumis ex legatione illa ad meos redii, & pro illa clementi deductione ac reductione DEO opt. max. gratias ago. Etsi autem non dubitem, quin à filio, compatre meo colendo, Domino D. Philippo, præcipua cognoveris, quæ ibi effecerimus, tamen pro ratione acutissimæ necessitudinis & unionis in Christo, putavi me recte facturum, si ipse quoque R. D. T. quædam haud gravatè communicem. Visitavimus Academiam Jenensem, ejus status corruptissimus fuit & adhuc est, propterea quod Theologiæ facultatis Professores duo, Voitus & Sartorius impuri sint in doctrina, & corruptelis addicti. Certe non obscure partes Witebergenfium defenderunt. Convicimus eos falsæ doctrinæ, partim ex publ. concionibus, partim ex dictatis. Coacti tandem agnovērunt, se de exaltatione humanæ naturæ in Christo, de cœna Domini, de sessione ad dexteram, de Evangelio, de libero arbitrio, de bonis operibus, &c. non juxta verbum DEI & Formulam concordiæ docuisse, idque suis Chyrographis seu propriis manibus contestati sunt.

Junq.